



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lvdovici Carrionis Antiqvarvm Lectionvm Commentarii III**

**Carrion, Louis**

**Antverpiæ, M D LXXVI**

Alter amboue. Renatus Vegetius correctus. ite[m] Labeo Antistius apud  
Agell. a. a. V. notae. Cap. VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70907)

Alter amboue. Renat. Vegetius correctus.  
item Labeo Antistius apud Agellum. a. a.  
v. notae.

## CAPVT VI.

**E**X TREMO eo senatusconsulto, de quo su-  
pra diximus, Remp. aliquando magistratu  
vniuerso, ijsue qui ad urbem essent: aliquando so-  
lis' co s s. permitti solere vulgo notum est: & alio-  
qui infiniti veterum scriptorum testantur loci. il-  
lud forasse omnibus non ita est, obuiam, non  
nunquam senatum decreuisse, vt vel abo  
Coss. vel alter eorum, si eis videretur, provide-  
rent, ne quid resp. detrimenti caperet. Verba Ve-  
getij hac de re è Libro de arte militari I I I. vt  
vulgata sunt, primum apponam: deinde, vt in  
membranis scribuntur, subiungam; & hæc, quod  
posui, verum esse eorum testimonio manifeste,  
opinor, vincam. *Quod si, inquit, infinita multitu- Vegetius li.  
do de fortissimis gentibus rebellasset: tunc nimia ne- III, ca. I.*  
cessitate cogente, duo duces, & duo exercitus mitte-  
bantur, cum huiusmodi præcepta, vt prouiderent,  
ne quid respub. detrimenti capiat Consules am-  
Videtur ijs verbis nihil eorum subesse quae di-  
co, & hæc frustra à me, afferri. sed profecto il-  
lustris ille in primis scriptor, si quisquam alius,  
ita militariter est dilaceratus, & in partes di-  
uersissimas dissipatus, nihil propè vt sit in eo  
quod sibi cohaereat, & non potius à seipso omni  
ex parte dissideat. quod nos olim in eodem e-  
mendato vberius declarabimus: & nunc, vera  
loci istius apposita scriptura, nonnullam eius  
significationem dabimus. itaque in optimo,  
E 2 eoque

eoque sane quam vetusto Diuiae mei libro, ea sic perscribuntur. Quod si infinita multitudo ex ferocissimis gentibus rebellasset: tunc nimia necessitate cogente, duo duces & duo mittebantur exercitus, cum huiusmodi praecepto, ut provideant, ne quid ressi detrimenti capiat, Consules, alter amboe. Quod vero in alio quodam, eoque etiam vetusto, scribi memini; ambo alterue, vel, alter amboe: ab ineptiorum seu potius sciorum interpretatione proficisci, prior, quem dixi, liber confirmat, & veterum, ipsorum in rebus aut certe similibus decernentium, ostendit auctoritas. Cicero certe in Philippica, cum de statua pedestri Seruio Sulpicio statuenda ex illius ordinis sententia disserit, ait senatui placere, uti C. Pansa, A. Hirtius Coss. alter amboe, si eis videtur, quaestoribus urbanis imperent, ut eam basim statuamque faciendam, & pedestris statuendam locent. quin etiam in nostris Iurisconsultis, Labeo Antistius, eam virginem Vestalem capi nefas esse scribit, cuius parentes alter amboe seruitutem seruierunt, aut in negotijs sordidius deseruierunt. ut hanc inserim Agellij locum, vna etiam opera, emendemus. quid? quod paene me fugit scribere, eam senatusconsulti partem, singulis his litteris. a. a. V. olim notari consueuille? quod ex ijs, quae Valerio Probo, à nescio quo, adijciuntur, licet intelligere.

Agel. lib. I.  
cap. XII.

Ant. Mureti  
Varia Lectorum  
LIII  
28

Mirus